183
181
187
177
192
172
232
132
282
082

fretare volebant, et multi nobiliores cives Venetorum. Conventio autem fuit dura in quantitate nauli, quam tamen inierunt propter dominum Johannem de Solms, comitem, qui infirmatus graviter indesinenter clamabat petens se transportari in galeam, in qua aestimabat se sanitatem recuperaturum. Male autem contenti erant domini aliarum duarum societatum propter illam conventionem initam timentes, ne etiam cogerentur per hoc ad dandum tantum pretium.

Porro post conventionem voluit dominus Bernhardus de Braitenbach, decanus Moguntinensis ecclesiae, intrare galeam conductam, ad disponendum locum pro domino comite debili, et rogavi eum, ut irem secum. Sic ergo nos duo in galeam navigavimus et locum suae mansionis consideravimus et aptavimus. Valde autem placuit mihi galea illa, nec videbatur mihi, me umquam pulchriorem vidisse, erat enim nova, ampla, optime ornata et ordinata, et ministri in ea amicabiles, et capitaneus classis, qui intererat, vir prudens et bonus. Et haec videns incepi gemere prae desiderio manendi in illa galea cum dominis primae societatis, et exposui domino Bernhardo praefato desiderium (**134 a**) meum, sed defectum expensarum lamentabar. Venerabilis autem vir de utroque me pie consolabatur, et egressi de galea concito gradu duxit me in Venetorum fonticum ad dominum Sebastianum, patronum suae galeae, et pro me intercedens, tamquam pro paupere, conventionem conclusit, ut et ego in praefata galea mare transirem; insuper eduxit XII ducatos eosque mihi tradidit in sublevamen expensarum, rogans, ut deum pro se et suis orarem, et ut in navi dominum comitem infirmum consolarer et curam ejus in spiritualibus agerem; non enim habebat societas prima sacerdotem. Hanc grandem pietatem exhibuit mihi utique anxio et necessario venerabilis vir ille misericors ex sua liberalitate et magnificentia, dominus generosus Bernhardus de Braitenbach, pro tunc camerarius ecclesiae metropolitanae Moguntinensis, nunc autem dignissimus ejusdem ecclesiae decanus, cui deus ut retribuere dignetur hic et in futuro supplex oco. Igitur, cum de galea provisus essem, laetus in domum nostram ad socios meos redii, cum autem audivissent, me divisum ab eis, contristati quidem sunt, sed auditis subsidiis mihi praestitis non poterant non congaudere. Eadem hora exivi cum domino Johanne, archidiacono Transsylva-

Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;